



Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi Thomae tomi quinque

Accvratam Qvæstionvm D. Thomæ, Ab LXXXIV. Vsqve ad finem: &
Disputationum de virtute Pœnitentiæ, De Clauibus, De Sacramentis
Pœnitentiæ, & Extremæ Vnctionis, De Purgatorio, Suffragiis & Indulgentiis,
expositionem complectens : Accesserunt Indices quinque: ... Postremus

Suárez, Francisco

[Köln], 1616

Sectio 3. Vtrum attritio potest fieri contritio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93815)

SECTIO III.

Utrum attritio possit fieri contritio.

Secunda.

Tertia.

14 Pars affirmativa probatur.

15 Satisfit rationibus dubitandi.

Durand.

Vega.

quia illa detestatio peccati, quae ex merito iustitiae, A
scilicet ex specifica ratione poenitentiae, sub neutro illo-
rum membrorum comprehenditur; & tamen, cum
contritio non fit, ut supra dictum est, necesse est ut
fit attritio. Secundo potest esse detestatio peccati ex
amore vitae aeternae, quae non erit contritio; & tamen
sub illis membris non comprehenditur. Tertio po-
test esse detestatio ex timore aliarum poenarum
praeter gehennam, quae etiam videtur esse diuersae ra-
tionis a praedictis.

Dicendum vero breuiter est partitionem esse
sufficientem. Neque enim concilium, cum genera-
lem doctrinam tradat, aliam omiserit, si daretur. Et
ratio breuiter reddi potest, quia peccati detestatio
est de illo quatenus malum est, vel mali causa. Hoc
posteriori modo detestatur peccatum illa attritio, B
quae est ex metu poenae quia detestatur culpam, qua-
tenus est causa poenae; omnis vero alia detestatio, quae
est de peccato quatenus in se malum est, & non est
propter supremam malitiam, quae in ipso est, seu pro-
pter Deum ipsum secundum se, dicitur esse attritio
de peccato propter feccitatem eius. Vel aliter (& fe-
re in idem redit) duplex ratio est malum, poenale
scilicet, vel morale, aut ergo detestatio est propter
malum poenae; & sic constituit primum genus attri-
tionis: aut est propter malum culpae, seu morale: &
hoc esse potest vel suprema malitia culpae, quatenus
contraria est ipsi bono diuino secundum se, & amo-
ri eius. Et haec transcendit limites attritionis, nam est
C
inuenta in peccato, quatenus discordat a regula ra-
tionis: & haec generaliter dicitur esse propter feccita-
tatem peccati, & constituit aliud membrum attri-
tionis, quod genericum est, & varias attritiones sub
se continet iuxta varias difformitates, quae vel in
diuersis peccatis, vel in eodem secundum diuersas
rationes, & habitudines inesse possunt.

Vnde ad primam rationem dubitandi concedi-
mus illam detestationem per se, ac precise sumptam
esse solum attritionem: id enim recte colligit argu-
mentum ex doctrina superius data. Comprehen-
ditur tamen illa attritio sub illa, quae est ob feccitatem
peccati: nam inaequalitas illa, & iniurius, quam con-
stituit peccatum in ordine ad Deum, quaedam eius
deformitas est, ob quam peccatum est detestabile,
quamuis non sit suprema ratio detestandi illud. Ad
secundam Durandus in 4. d. 17. q. 2. dicit illum actum
esse contritionem: verius tamen Soto affirmat esse
attritionem; quia est ex amore concupiscentiae: sicut
operari bonum inuitu mercedis, etiam vitae aeternae,
ex vi talis obiecti non est opus charitatis, sed spei,
seu amoris concupiscentiae. Dico igitur attritio-
nem illam comprehendit sub illa, quae est ex metu ge-
hennae: nam, ut saepe dixi, amor & timor cum pro-
portione sumpti, connexi sunt: & ideo perinde est
fugere peccatum ex amore consequendi aeternam
vitam, & ex timore auerendi illam. Imo vix vnquam
ille amor generat hanc detestationem nisi interce-
dente illo timore: & ideo dixi ad eandem virtutem
pertinere. Ad tertiam Vega libr. 13. in Tridentinum
c. 14. concedit detestationem ob metum aliarum poe-
narum esse attritionem, & contineri sub primo me-
bro: nam Concilium vtrumque coniunxit, scilicet.
Ex metu gehennae, & poenarum. Quae sententia vera erit,
si intelligamus illum timorem non esse mere huma-
num, & naturalem, sed diuinum & supernaturalem.
Itaque, quamuis poenae temporales sint, si tamen
considerantur, ut inflictae a Deo, & ut nobis indicant
iram eius, & quodammodo inchoant diuinum sup-
plicium, nisi emendemur; sub ea ratione possunt
mouere ad supernaturalem attritionem, quae opti-
me reducitur ad illam, quae est ex metu gehennae:
sicut sperare a Deo bona temporalia sub aliqua ha-
bitudine ad vitam aeternam, seu ad speciale vel superna-
turale Dei prouidentiam, ad virtutem spei pertinet,

HAEC quaestio est celebris apud Scholasticos, &
multa circa illam scribunt, nobis autem vix a-
liud necessarium est, quam ex omnibus dictis con-
clusionem inferre. Dicendum ergo est, proprie, &
in rigore loquendo, attritionem non posse fieri con-
tritionem. Ita D. Thom. in 4. d. 17. q. 2. art. 1. quaesti-
unc. 3. & habetur in Additionibus q. 1. art. 3. Alenf. 4.
p. q. 74. memb. 3. & 4. Richardus ead. d. 17. art. 1. q. 2.
Gabr. d. 16. q. 1. ar. 3. dub. 1. Medina tract. 1. de Poenit.
q. 5. & alij communiter. Ut autem hoc probemus;
aduertendum est, aliud esse attritum fieri contritum;
seu ex attrito contritum, aliud vero attritionem fieri
contritionem. Nam primum, si in rigore, & pro-
prietate sumatur, significat mutationem subiecti
transuentis a forma imperfecta ad perfectam, seu ab
vno statu ad alium: non vero significat diuersos sta-
tus seu gradus eiusdem formae, quod in secunda lo-
cutione explicatur, ut etiam ex Philosophia constat.
Ideo enim recte dicitur ex frigido fieri calidum, non
tamen frigus fieri calorem; at vero recte dicimus
calorem remissum fieri intentum. Illa ergo prima
locutio in praesenti materia, verissima est, & valde
vitata. Quamuis dupliciter possit habere sensum in-
fra explicandum. Alteram locutionem dicimus &
impropriam, & in rigore falsam esse. Ratio est, quia
attritio, & contritio sunt actus essentialiter diferen-
tes: ergo vnus non potest fieri alius, seu transmuta-
ri in alium.

Quatuor modi, quibus intelligi potest attritionem fieri contritionem, reuocantur.

UT veritas haec magis pateat, aduerto quatuor
modis posse dici attritionem fieri contritionem.
Primo per additionem alicuius perfectionis acci-
dentalis, quae in eodem actu fiat: Et hoc modo opi-
nati sunt Scotus, Caietanus, & alij, qui ad rationem
contritionis requirunt peculiarem quaedam perfe-
ctionem accidentalem, ut intentionem, vel dura-
tionem actus, vel quid simile. Haec tamen sententia
facis a nobis improbate sunt. Hoc igitur modo non
potest attritio fieri contritio, quia nullus est tale ac-
cidents, sine quo actus sit attritio, & illo addito iam
sit contritio: quod satis probatum est.

Secundus modus esse potest iuxta opinionem a-
liquorum Theologorum, qui putant actus morales
etiam interiores voluntatis posse erant ab vna spe-
cie in aliam manente eadem substantia, seu entitate
actus circa idem materiale obiectum, etiam si pro-
xima motiva illorum actuum diuersa sint, ut actum
voluntatis elicitem ex virtute misericordiae, quo a-
liquis vult dare elemosinam propter subleuanda
miseriam proximi, posse mutari, & fieri actum van-
gloriae, si mutetur motiuum, & homo velit illud
eundem actum, ut videatur ab hominibus: tunc enim
(aiant) in voluntate eundem actum manere en-
titatiue, solumque mutari species morales.

Fundamentum huius doctrinae est, quia haec spe-
cies morales actuum humanorum supponunt na-
turalem aliquam, & physicam speciem, in qua fun-
dentur, & ideo possunt variari circa eundem actum
retinentem eandem speciem naturalem. Nec desunt
qui hanc doctrinam extendant ad actus intellectus.
Aliqui enim dixerunt, eundem actum qui prius erat
opinionis, adueniente demonstratione fieri actum
scientiae. Veruntamen doctrinam hanc & genera-
tim sumptam, & ad praesentem quaestionem appli-
catam, falsam esse existimo; quia in actibus interi-
oribus

Attritio non potest fieri contritio.

D. Thom. Alenf. Richard. Gabr. Medina.

Non est idem attritum fieri contritum & attritio nem fieri contritio nem.

1

Secundus modus.

Fundamentum.

Refellitur.

omnibus voluntatis, species illa, quæ sumitur ex obiecto formali proxime mouente, est non tantum moralis, sed etiam physica, naturalis & entitativa ipsius actus: nam hæc duo non repugnant. Idem enim actus interior secundum suam realitatem libere fit, & tendit in tale obiectum, & ex libertate denominatur moralis, & ex tendentia ad obiectum habet suam realem speciem, & naturam. Quod enim Aristoteles dixit, potentiam per actus, & actus per obiecta specificari, etiam in his actibus verum habet, cum sit eadem ratio in illis, quæ est in reliquis.

Præterea tales actus secundum entitates suas essentialiter sunt actus: ergo etiam essentielles species, & reales, seu physicas habent ex obiectis: sed non habent illas ex obiectis materialibus tantum, quia hoc commune est omnibus habitibus & actibus, ut etiam quia materiale obiectum indifferens est ut circa illud versetur actus v. g. iustitie, aut liberalitatis, vel etiam actus naturalis, aut supernaturalis: ergo per se non sufficit, ut det actui vltimam speciem, nisi addatur obiectum formale seu motiuum. Imo si res attente consideretur, nullus actus voluntatis versari potest circa tale obiectum materiale præcisè sumptum, quia, ut sic, neque ut bonum, neque ut malum consideratur. Unde etiam intellectus circa tale obiectum materiale versari potest: ergo necesse est, ut sub aliqua ratione boni tale obiectum sumatur, ut possit dare speciem actui voluntatis: ergo illa species, quæ sumitur ex proxima ratione boni mouentis voluntatem, est essentialis tali actui, & entitati eius. Quod circa in præsentia materia actus charitatis essentialiter in entitate sua talis est, & similiter actus spei. Unde, sicut in naturalibus non potest vna qualitas mutare suam speciem essentialem, & transire in aliam, eadem numero manens, est enim aperta repugnantia: cum, ablata essentia, omnino destruat res: neque enim hæc a parte rei distinguuntur: ita fieri non potest, ut proprius actus spei transiret in charitatis speciem, vel è conuerso. Eodem autem modo comparantur attritio & contritio, nam sunt actus pertinentes ad virtutes speciei, & essentia diuersas: contritio enim est actus elicitus à charitate, ut supra explicauimus, attritio vero, aut est à virtute spei, vel ab aliqua virtute morali: ergo fieri non potest, ut illo modo transeat ab vna specie in aliam.

Et confirmari potest in ipsis habitibus, qui etiam sunt morales, & simul habent suas species reales ita distinctas, ut non possit idem habitus ab vna in aliam transmutari: ergo idem est de actibus: sunt enim proportionati habitus. Et ita responsum est ad fundamentum alterius opinionis. Nam esse morale & naturale in eodem actu non repugnat, & consequenter nec species moralis & naturalis: imo intelligi non potest in interiori actu voluntatis, quænam species illa sit, quæ naturalis vocatur, & non moralis: nam secundum illam etiam actus est liber, & tendit in obiectum per rationem propositum: hoc autem addit illa denominatio, qua actus voluntatis vocatur moralis.

Tertius modus, quo attritio potest fieri contritio, est per additionem alicuius actus exterioris, sine quo non censetur homo facere quantum potest, & tenetur, ut se ad gratiam disponat. Quem dicendum modum inuenio apud Victoriam in relect. 1. de Potest. Ecclesiast. quest. 2. num. 9. quem sequitur Ledesma. 2. part. 4. quæst. 20. artic. 1. Vbi ait fieri posse ut aliquis habeat dolorem de omnibus peccatis suis, quatenus sunt contra Deum, & quod non habeat contritionem, solum quia non tollit aliquam occasionem proximam peccandi, vel quia non restituit quod debet. Et tamen si hoc postea exequatur, quamuis dolor eius non crescat, neque mutetur, iam fit vera contritio: quam sententiam nulla ratione confirmat. Videret autem fundamentum esse, quia nemo

A potest disponi ad gratiam, nisi prius impleat quod implere tenetur: qui autem hoc facit, & alioqui dolet, iam sufficienter disponitur.

Hanc vero sententiam falsam esse opinor, & vix posse intelligi. Interrogo enim, an ille homo, qui dolere dicitur propter Deum de omnibus peccatis suis, teneatur restituere, vel occasionem tollere in illo momento, & pro illo eodem instanti, in quo dolet: vel non ita urgeatur tali præcepto, sed possit postea illud implere. Si hoc posterius dicatur, nihil obstabit contritioni, etiam si præceptum statim pro eodem instanti executioni non mander: quia illud non est peccatum, cum obligatio præcepti non ita urgeat: & alioqui ad contritionem habendam sufficiat propositum implendi præceptum pro eo tempore, pro quo obligauerit: si ergo ille dolor habet omnia requisita ad contritionem præter illam exteriorum executionem talis præcepti, reuera est contritio, & sufficiens dispositio ad gratiam. Neque oberit quod talis homo postea non restituat, vel occasionem tollat, nam præsens contritio non pendet ex futuro contingente, sed ex præsentis proposito: quod si postea homo mutetur, vel non exequatur, peccabit denuo, & amittet gratiam per priorem contritionem comparatam. Si vero dicatur obligationem implendi tale præceptum urgere pro eodem instanti, pro quo homo dolet, impossibile est ut ille dolor sit de omnibus peccatis, & quod postea sit contritio, nisi in se ipso mutetur & crescat. Probat, quia ille homo actualiter peccat pro illo instanti, quia non facit quod pro tunc tenetur, quomodo ergo potest habere in eodem instanti actualem & efficacem dolorem de omnibus peccatis.

Dici potest illum teneri ad id faciendum statim, non tamen aduertere pro tunc ad huiusmodi obligationem, & ideo posse habere verum dolorem, qui ob illum defectum non attingat perfectionem contritionis. Sed contra hanc responsionem proportionale militat argumentum: quia vel illa inaduertentia est mere naturalis, & inculpabilis, & sic præsens obligatio nihil obstabit, quominus absque illius executione possit haberi vera contritio, quia illa inaduertentia omnino excusat. Unde ita se habet ille homo, ac si pro tunc non teneretur: & sufficere illi propositum seruandi omnia mandata, cum primum humano modo occurrerint, id est, cum morali aduertentia. Si vero illa inconsideratio fuit culpabilis, & ex negligentia grati, fieri non potest, ut cum illa simul existat efficax dolor de omnibus peccatis, quia offensa Dei sunt: tum quia actualiter homo tum peccat, & de illo non dolet, tum etiam, quia, cum talis dolor formaliter, vel virtute includat absolutum propositum non peccandi, fieri non potest, ut cum illo actu simul existat grauis negligentia rei necessarie ad salutem, & ad vitandam grauem DEI offensam pro eodem instanti.

Quapropter fieri non potest, ut per solam actionem exteriorum idem dolor internus, qui antea non erat contritio, incipiat esse contritio: sed vel ille dolor qui antea iam erat contritio, incipit exteriori operari, quod prius forte debuerat, sed homo non aduertat; vel dolor, qui prius fuerat imperfectus & inefficax, postea perficitur, & substantialiter mutatur. Quod optime confirmatur, quia dispositio ad gratiam non consistit in exteriori actu, sed in interiori: ergo fieri non potest ut per solam additionem exterioris actus consumetur talis dispositio. Dices, exteriorum actum non addi sine aliquo interiori, scilicet voluntate illum efficiendi. Sed contra, quia hinc concludimus ipsum actum interiorum debere mutari, aut non esse necessariam illam voluntatem ad veram contritionem: quia sufficere propositum sic operandi, cum primum occurrerit

Improbatur.

Euaasio.

Responsio.

10

Obiectum: cula solut.

Tertius modus.
Victoria.
Ledesma.

currerit illa obligatio cum sufficienti aduertentia a
ad illam.

Quartus modus.

Quartus & vltimus modus huius mutationis ef-
se potest per additionē alicuius actus interio-
ris, vt v.g. si homo prius habeat dolorem de peccatis
ex mera virtute poenitentiae absque villo actu elicitō
charitatis, ille erit tantum attritio, vt supra dictum
est: si vero vltra hunc actum addat alium amoris
Dei super omnia, in quem referat illum eundem do-
lorem, ille incipiet esse contritio, quia iam est do-
lor de peccato propter Deum summe dilectum: ergo
hoc modo potest attritio fieri contritio. In quo
(vt tollatur quaestio de nomine) certum est illū ho-
minem manere sufficienter dispositum ad gratiam,
vt argumentum probat: quod ita verum esse tenseo,
vt illi homini non maneat obligatio habendi, vel
procurandi postea perfectiorem dolorem. Quod
fortasse non ita esset, si ille dolor fuisset tantum ob
metum gehennae, vel ob inferiorem aliam rationē:
ille enim excedit in hoc, quod est verus actus iusti-
tiae, & poenitentiae virtutis, & detestatio iniuriae diui-
nae, quatenus talis est. Et ideo ex parte doloris suffi-
cit, si adit etiam amor sufficiens.

¹²
Contritio
duplex

Hoc autem in reposito, quaestio videtur de no-
mine. An illa dicenda sit vera contritio, necne. Pos-
sumus autem distinguere duplicem contritionem,
vnā propriam, quae est per simplicem actum do-
loris in se virtute includētis amorem: & de hac, quae
propriissima est, locuti sumus haecenus, & nulla at-
tritio potest in talem cōtritionem mutari, & de hac
procedunt rationes superius factae. Alio tamen mo-
do latiori potest vocari contritio, quae composita est
ex pluribus actibus, dolore scilicet, & amore: & in
hac significatione potest illa vocari cōtritio. Si quis
tamen aduertat, quod etiam supra Medina in sinua-
uit, etiam in hoc sensu attritio non fit contritio, sed
ex priore attritione cum sequente amore, coalescit
quidam contritionis modus. Nam prior dolor nū-
quam est ipse contritio, sed aggregatum illud seu
cōpositū ex dolore, & amore appellatur talis contri-
tio. Quod patet, quia non alia ratione sic vocatur,
nisi quia est formalis dispositio sufficiens ad gratiam
& remissionem peccati: sed prior actus nunquam fit
sufficiens dispositio, sed ex illo cum amore confur-
git: ergo nō prior actus solus, sed dispositio ex vtro-
que constans dicitur contritio.

¹³
Medina di-
sum.

Addit vero Medina supra ex Aleksi, licet attritio
non possit fieri contritio, posse tamē extrinsece, par-
ticipare honestatem cōtritionis per relationem ex-
trinsecam, seu imperium, quod etiam dici possit de
contritione respectu attritionis. Quod declaratur
breuiter ex principiis. 1. quia actus vnus virtutis
potest imperare actum alterius, vel referre in obie-
ctum suum tanquam in finem illi extrinsecū, a quo
habeat speciem accidentalem, quomodo elemo-
sina v.g. potest imperari ad poenitentiam, &c. sic ergo
esse potest in proposito: est enim eadem ratio. Et ex-
emplis facile patet: potest enim quis ex intentione
satisfaciendi Deo pro culpa commissa, imperare sibi
detestationem, vel dolorem propter pœnas inferni,
aut ex odio offensae diuinæ, vt sic imperare sibi
detestationem seu odium ipsius malitiae peccati pro-
pter turpitudinem eius: & de contrario ex intentione
fugiendi pœnas inferni potest sibi imperare veram
contritionem tanquā medium ad finem necessariū.
An vero huiusmodi accidentalis specificatio sit ali-
quis modus intrinsecus actui imperato per additio-
nē alicuius realitatis quasi partialis; an vero sit de-
nominatio extrinseca ab actu imperate, sicut est re-
spectu actu exterioris, disputatur in prima secun-
da: vtrumque enim est probabile.

Dices: Ergo saltem hoc modo attritio dicitur fie-
ri contritio, & de conuerso. Respondetur hoc posse
pertinere ad modum loquendi: simpliciter tamen
negatur, cum quia attritio, & contritio significant
proprie actus elicitos per modum intentionis, seu
voluntatis absolutae, quae ex proximo obiecto suo
speciem sortitur: sicut actus temperantiae, quamuis
imperari possit ad charitatem, non dicitur simpliciter
fieri actus charitatis, sed cum addito actus impera-
tus ad charitatem: sic in proposito solū dici poterit attri-
tio v.g. imperari ad contritionem. Tamen etiam, quia
quamuis idem actus, qui est attritio, intelligatur ac-
cidentaliter participare honestatē contritionis, ita
vt ex illa cum aliquo addito fiat contritio, in quo
sensu proprie versatur haec quaestio, & affirmatur
ab auctoribus citatis, attritionem posse fieri contri-
tionem; quod nos negamus eodem sensu: sed tota
ratio attritionis supponitur, seu subternitur quasi
materiale subiectum, & illi intelligitur addi accidē-
tali ter honestas contritionis secundum quandam
participationem.

Atque ex his tādē intelligitur, variis modis di-
ci hominem proprie ex attrito fieri contritum. Pri-
mo propriissime, quia mutat dolorem ex imper-
fecto in perfectum. Secundo minus proprie, quia do-
lori imperfecto addit amorem. Tertio latissime,
quia sine mutatione actus illi infunditur gratia, &
charitas, vt in sacramentis fit: tunc enim solum dicitur
homo fieri ex attrito contritus, quasi aequiuale-
ter seu quoad vltimum effectum contritionis, qui
est gratia, & remissio peccati.

DISPUTATIO VI.

De actu exteriori Poenitentiae.



Quoniam materia proxima virtutum
moralium sunt aliqui humani actus,
ideo semper praeter actus, quos im-
mediate cum voluntate eliciunt, qui
proprie dicuntur interiores, respectu
illarum habent alios actus, quos impe-
rant, seu ad quos eliciendos alias potentias, seu
virtutes mouent, qui dicuntur exteriores respectu
earundem. Et ideo, cum haecenus explicauerimus
interiores actus poenitentiae, qui ab ea proprie eli-
ciuntur, superest vt de exterioribus dicamus, quae
res breuior est, & facilior: tamen propter materiae
complementum, non potuit omnino praetermitti.
Dicam ergo breuiter qualis, & quorū duplex hic actus
sit.

SECTIO I.

*Vtrum virtus poenitentiae habeat aliquem actum
exteriorem sibi proprium, & per se honestum.*

Actus exterior virtutis quaedam generali ratione
dici potest omnis ille, qui non est elicitus a tali
virtute, sed tantum imperatus. Talis enim actus ali-
quo modo est extra talem virtutem quoad propria
& per se efficientiam eius. Et hoc sensu habet virtus
poenitentiae actus exteriores: non solum in aliis po-
tentis, sed etiam in ipsa voluntate. Quod explicatur
in propria, & specifica virtute poenitentiae: & inde
potest facile ad quamlibet applicari. Iuxta illū ergo
loquendi modum, actus ipse charitatis, quatenus ad
virtute poenitentiae imperari potest, & in suum affe-
ctum ordinari, est illa exterior, & multo magis actus
intellectus interioris confessionis, seu recognitionis
peccatorum, & actus etiam partis sensitivae, siue sit
directe imperatus, siue volutus ad satisfaciendum,
siue sit concomitanter, siue consequenter excitatus
propter naturalem sympathiam potentiarum eius-
dem

¹⁴
Qui dican-
tur late a-
ctus exteri-
ores poeniten-
tiae.